Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2331
Quelle:
Copyright:

Fol. 307. *Replicationes circa Nonnulla ex Petitionibus Gallorum. Per Pal.* Lego *Paleottum.* Abruptae ſunt in verbis: *Illuſtriſſimi Cardinalis Boromaei.*

Fol. 309. *Literæ Imperatoris ad Legatos Concilij.* 1562. quarum initium: *Cum ſuperioribus menſibus ad nos transmiſſi fuiſſent articuli quidam inſtituendę reformationis* &c. Merita fuiſſent ejusmodi Documenta majori fortaſſe jure locum in conciliorum *Tomis*, quam ſacrae illae Orationes, quarum quaedam vix Res Concilii attingunt; interim praeſentis Epiſtolae συνοψιν habes apud *Pallavic.* P. III. L. 17. c. 5.

Demum *fol.* 313. Poſtulata ἀκεφαλα Reformationis Diſciplinae eccl. et morum, atque eorum poſtrema *Reuerendiſſimi Bracharenſis*, qui fuit *Bartholomaeus de Martyribus.*

DCCCCXLI.

R. 15 Codex chartaceus lat. ital. Sec. XVI. Folior. 274. 4. maj. eſt *Pars II. Adverſariorum Hier.* Card. *Seripandi* de Concilio *Tridentino*, cujus praecipua haec ſunt: *Fol.* 1. Acta varia in Concilio Anni MDLXII. inter quae potiora: *Capita XCIII. de Reformatione oblata mihi* (Seripando) *ab epiſcopis doctis et piis*, videlicet de Ordine ſacro, Collatione Beneficiorum, eorum Reditibus &c. atque ex his *Articuli XVIII. deſumpti et accommodati per Seripandum.* Item *Epiſtolae* mutuae inter *Franc. Torrenſem* Theol. Pontificis, et *Petr. Guerrerum* Archiep. *Granatenſ.* de verbis in Titulo Concilii: *Univerſalem Eccleſiam repraeſentans*, quae omittenda ut ſuperflua cenſebat *Torrenſis* ſive *Turrianus* tunc nondum Jeſuita, et poſt varia praecipue cum Hiſpanis tractata prolixa Diſſertatio *Job. Car. Bovii Bonon.* Ep. *Auſtun.* ſive *Oſtunenſis de Reſidentia* Epiſcoporum.

Fol. 43. *Actionum Tridentinarum Series a Die XIV. Jun. Anno MDLV.* Plus quidem, quam promittat haec inſcriptio, quam recitat etiam *Felix Oſſingerus* in *Bibl. Ord.* p. 841. inter *Seripandi* Inedita. Eſt enim Narratio hiſtorica ita exorſa: *Leo X. quo Pontifice maximo, et pontificatus annum omnino quintum gerente, qui a ſalute erat MDXVII. auditi ſunt a Germania rumores, et liberiores quedam aduerſus indulgentias diſputationes, ſatis fore exiſtimauit ad motus illos compeſcendos, ſi eius rei curam omnem Syluestro Prieriati ſacri Apoſtolici Palatij magiſtro mandaret* &c. *Seripandi* haec eſſe liquet; ſequitur enim mox: *Hoc Leonis conſilium detexit mihi nondum adoleſcentię metas egreſſo Hieronymus Fulginas Auguſtinenſium procurator generalis, vir plane doctus et prudens, cum una Venetijs eſſemus in maximo atque ampliſſimo illo conuentu, in quo Aegidio Viterbienſi, qui ſuperiore anno creatus a Leone Cardinalis fuerat, Gabriel Venetus* (Prior Generalis O. S. Aug.) *ſuffectus eſt. Fuit is a ſal. chriſti MDXIX. annus.* Magna ſinceri-